

CORREDENCIÓN, PECADÒ Y DÉBITO SEGÚN LOS TEÓLOGOS SALMANTINOS

por PEDRO DE ALCÁNTARA MARTÍNEZ, O. F. M.

SUMMARIUM.—*Labor in duas partes distribuitur: Prima agit de Joanne a Segovia et Joanne a Turrecremata, theologis magni nominis in Basileensi Concilio.*

Secunda de I. Velazquez, et I. E. Nieremberg, cum aliis salmanticensibus.

In prima parte quaestio est de relationibus inter corredemptionem, immaculatam conceptionem et debitum nude perspectis. In secunda de iisdem relationibus sed prout idea corredemptionis aliam ideam praedestinationis includit.

Pro Segoviensi necessitas originale peccatum contrahendi ex inclusione individui sub lege contractionis provenit. Peccatum originale carentiam esse, dicit, originalis iustitiae debitae, sed prout a Deo nobis ad culpam imputatur; transmittitur quidem mediante lege, seu decreto positivo divino. Tribus viis ad negationem peccati in Deipara percenitur: maternitatis, scilicet, ex qua solummodo decentiae argumentum desumitur et iuxta quam immaculata conceptio ut privilegium strictum, seu dispensatio ab effectibus legis explicatur; praedestinationis ab aeterno, ex qua necessarium argumentum et exclusio ab ambitu legis —a. v. negatio debiti— conficitur; corredemptionis, quae ad eundem ducit finem.

Corredemptio intelligitur praecipue ut Mariae cooperatio ad redemptionem objectivam, ita ut cum Filio primum constituat principium nostrae reparationis iureque mater omnium recreatarum rerum humanique generis redempti efficiatur. Ad hoc plenitudinem habuit gratiae, cum destinatione divina, unde saltem de condigno imperfecto nostram salutem meruit. Actio tamen eius, omnimode pendet a Filio, eique subordinatur. Explicatur per compassionem in cruce, meritum, impetrationem.

Corredemptionis attributum Virginem afficit iam in primo suae conceptionis instanti, quae conceptio necessario sancta qualificatur. En praecipua argumenta ex facto corredemptionis derivata:

Maria est, cum Christo, primum redemptionis extractivae principium, ergo nequit redimere seipsam; ergo nullo potest modo habere peccatum.—Si sanctitas immaculata tribuitur ecclesiae vel Christo propter mediationem seu extractivam redemptionem, praedicandum est idem de Maria (ex comparatione cum ecclesia fit argumentatio a fortiori; cum Christo a pari).—Maria est principium vitae spiritualis Adami redempti, ergo nequit ab eo influxum peccati recipere. Quae argumenta diversimode ab auctore proponuntur.

Ex his ad conceptionem necessario immaculatam seu absque de-